

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ioannes Mathesius

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](#)

IOANNES MATHESIVS  
Theologus.



*Præco metalliferae Ioachimi valle Sarepta:  
Ipse potens calamo, vocè disertus eram.*

M. D. LXV.

IOANNES MATHESIVS ROCH-  
licij Misniae oppido natus anno

M. D. IV.

Multij vḡ eruditione Vitebergae sibi compa-  
ratā, sub opt. & clariss. doctoribus M.

Lutheri, & Ph. Melanthone:  
Ludi literarij primò Magister, ac dein Pastor  
Ecclesiae in valle loachimicā fideliss.  
pariter, ac vigilantiss.

Cuius pietas & constantia eximia, cæteræque  
virtutes, admirabilis denique ac pœnè diuina  
facundia, & in docendo dexteritas singularis  
nunquam satis dignè prædicari  
poterit:

Præclaro Meditationum & Concionum sacra-  
rum Thesauro, de omnibus fidei Christianæ  
capitibus, piæ posteritati fruendo per-  
petuò, post se reliquo:

Pro concione, fine in vita præfagiens, suæ vale-  
dicens Ecclesie:

Moritur Apoplecticus anno Christiano M. D.  
L X V . Aet. L I . Non Octobr.

EPITAPHIUM.

Securus recubo hic mundi pertusus iniqui:  
Et didici, & docui vulnera Christe tua.

S v

IN IOANNEM MATHESIVM  
Theologum.

EPIGRAMMATA.

BALTHAS. MENTII.

Talis erat docti facies veneranda Mathesi:  
Quando fidem Christi voce professus erat.  
Patria Rochlicium est: sed Leucoris alma fidelem  
Discipulum adiunxit, sancte Luthere, tibi.  
Ex Sophiae studijs fructum percepit, & ipsi  
Eximium attribuit Pallas in arte gradum.  
Fraterno coluit quem magnus amore Melanthon,  
Quig sacer templi rector Eberus erat.  
Valle Ioachimicâ munus doctoris obi vit:  
Arguit & fraudes, impie Papa, tuas.  
Quin etiam vicit diuinâ voce cateruan,  
Sacra petit varijs qua tua Christe dolis.  
Sola hic ora vides: si vis & cernere pectus,  
Scripta lege: & noscere pectus & ora viri.  
Corpus habet tellus: mens viuit in aethere, donec  
Iungatur carni rursus, ut ante, sua.  
Interea, bone Christe, pios largire ministros,  
Qui simili doceant agmina sancta fide.

IOAN. LAVTERBACHII.

Fidelibus Deus ministris præmio m.  
Preco sacro sancte Triados, diuine Mathesi:  
Quo Christus patuit sacra docente lytron:

Cura ministerio tua non modò profuit vrbi:  
Obrinuit nomen quæ loachime tuum;  
Profuit vtilibus quoque magno fœnore libris,  
Quos terit aſſiduā Teutonis ora manu.  
Premia pro tanto numeret tibi digna labore,  
Ultima iudicij quum ruet hora dies.  
Dicimus interea memori de pectore grates:  
Optamus q̄z tuos sors ut honesta bect.  
Fidas haud operas Deus orbe relinquit egentes:  
Inq̄ solo ditat commodus, inq̄ polo.

GEORGII FABRICII.

Matthesius magni facundus præco Prophetæ,  
Functus honorifico munere, spectat humum.  
Quicquid habet pulcri Germanica lingua nitoris,  
Ingenio cœpit comptius esse tuo.  
Siue tuos volnu libros, miramq; Sareptam;  
Siue venustatis carmina tincta fauo:  
Nectarum miror laticem: tibi floreat vrna:  
Fracta labore graui nec premat ossa lapis.

P. CANDIDI.

Quà matris scrutata sinus nitida ære metalla  
Eruit ex imis Mysnia visceribus:  
Illic verba pio diuina Matthesius ore  
Tradidit: hōc præstans pulcrius officium:  
Quò pia Relligio splendenti est pulcrior ære:  
Aera, ad opes verbi, nil rationis habent.